



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra**

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ, 1715**

**VD18 10988289**

19. Januarij. Intolerabilis tum mihi vita foret, si quid in anima mea humanum, & non omni ex parte divinum latere, comperirem. S. Ignat. vitæ l. 4. §. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

fundus es, ferax prædium, & qui desideras  
à tuis fructus, priùs à teipso exige.

19. Januarij.

*Intolerabilis tum mihi vita foret, si quid in  
anima mea humanum, & non omni ex  
parte divinum latere, comperirem. S.  
Ignat. vitæ l. 4. §. 5.*

**B** Onum ex integra causa, malum ex  
quovis defectu, Felix non eris, nisi aut  
omnia contempseris, aut omnia habueris.  
Delicata felicitas est: miser es, si aliquid  
desit. Nullâ hoc arte faciliùs obtinebis,  
quàm Deum solùm amando.

Qui semel gustavit, quid sit DEUS, fa-  
cile fastidit alia omnia, torrente illo volu-  
ptatis satur, nauseat super cibo omni le-  
vissimo, quod creatum est.

Ceu plumula, vel unâ guttulâ gravis,  
assurgere non potest, & licèt impetu in  
sublime attollatur, nativô tamen pondere  
in terram relabetur; Sic anima, vel modicô  
affectu terreno affixa, ad cœlum volare  
nequit.

Totus, quantus es, Dei, & à Deo es. Si  
non totum reddis Deo, injurius es; Divi-  
di non potest amor tuus, totus Deo debis

tus, & si totum des, in multis debitor manes! Quid si partem aliò derivares?

20. Januarij.

*Non tantum Dei habenda est ratio, sed etiam hominum, propter Deum. S. Ignatij vitæ l. 3. n. 27.*

**Q**ui sic amavit hominem Deus, ut se pro ejus amore immolaret, sic vult se amari ab homine, ut homo non negligatur. Nihil amori divino detrahit, qui proximum, propter Deum, diligit.

Nemo tam vilis est, qui non, quod amari & æstimari possit, habeat, & si hæc deficerent, quia res Dei, pretium sanguinis Christi, & imago divinitatis est, amor ei sine scelere negari non potest.

Si tuos, & nullius præterea, manes attendas, erit sanè, ut omnes te meliores credas, & uberem odii tui; & amoris proximi causam, nanciscaris.

Non huminum malitia facit, ut minus proximum amemus: nostra passio & antipathia est. Hanc variò colore vestimus, quia nostra nos dedecora manifestare poterit.